INEUNTE MUNUS
Epiſcopale Tarviſinæ Eccleſiæ

Illuſtriſs. ac Reverendiſs. D.

AUGUSTO ZACCO
JAM ARCHIEPISCOPO CORCYRENSI.

ORATIO
DICTA NOMINE

ILLUSTRISS. CAPITULI.

TARVISII, MDCCXXIV.
Typis Gaſparis Plantæ Typographi Epiſcopalis.
SUPERIORUM PERMISSU.

71

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO.

SI Deo Optimo Maximo gratiæ ſemper à Nobis agendæ fuerunt, eò quòd Eccleſiæ Noſtræ Pontifices optimi præficerentur; certè, Il-

72

Digitized by Google

luſtriſſime, ac Reverendſſime Præſul, ſtudioſiùs id faciendum, cum translatus, ſuffectuſque eſt, qui foret Optatiſſimus: Tarviſina enim Diœceſis meritiſſimo Fortunato Mauroceno Epiſcopo viduata, non aliis poterat vicibus acquieſcere, quam ſi in ampliſſimam ſpem erecta Antiſtitem eſſet habitura, per cujus Nobilitatem, Charitatem, Virtutes Mauroceni memoria penſaretur. Tum namque, cum Fortunatus ad Brixienſem Epiſcopatum delectus fuit, miſimus vota noſtra, ut Optimo eſſet Optimus ſucceſſurus. Fideliſſima vota bonorum omnium auctor, & pacis implevit, & Providentiæ abundantiam gratiſſima Fama nunciavit; nempè tum cum Nobis de electione tua conſtitit, novimus deſideria noſtra ſuperari.

Convenit (dicebamus) Convenit Eccleſiæ Noſtræ, ac Diœceſi nullo unquam profeſſo errore turpatæ, Paſtor morum integritate

con-

Digitized by Google

conſpicuus : Convenit Clero, perpetuæ virtutis, ac inſtituti decorè ſingulari, Doctiſſimus Epiſcopus; Nobiliſſimæ Civitati, Nobiliſſimus Præſul. Adveniſti: En, ut tota Civitas ſibi ipſi gratulatur! En, ut Nos tibi ſerviendo in graviſſimo munere ſortiti ſincero gaudio lætamur! En etiam ut, cum vix hæc limina attigiſti, in preces tibi porrigendas convenimus!

Poſcimus hoc primum, ut in lætitiam noſtram conſentias, ea ſcilicet animi alacritate hujus Civitatis tutelam ſuſcipias, qua Decreto paruiſti, quo de tuo Archiepiſcopatu ad hanc Sedem translatus es. Ita Deus Nos audiat, Teque tibi, Nobiſque incolumem in longam ætatem tueatur. Placeat etiam, quod Nobis feliciſſimum eſt, fideliter repeti, & eò uſque ne tua lædatur moderatio. Mihi enim humiliter ſatagenti animum noſtrum profiteri, abundè pro laudibus erit, omnibus oſtendere, quem-

73

Digitized by Google

admodum honeſtiſſimis deſideriis noſtris ad calculum, Epiſcopi virtutes, moreſque reſpondeant. Nulla verò arte fieri poſſet, ut magis ſe in omnium animos Antiſtitis merita inſinuent. Fac, ut dicendi facultas, quam in obſequii pignus Illuſtriſſimi hujus Capituli nomine juſſus aggredior, aſcendat ſua ſponte in perenne mei animi monumentum.

Placeret fortaſſe pluribus Orationem aggredi à tuæ educationis exordiis, ſenſimque per ætatem notare, ut creveris in Nomen præſens: Pluribus etiam à Præceptis, quibus incumbentes Epiſcopi Deo, ſibi, Populiſque ſatisfaciunt. Ego verò quamvis ſoleam frequentiſſimè aliorum opinioni ſubſcribere, non tamen adeo me tradidi in aliorum diſciplinam, ut non aliquando, ubi pro re præſenti melius mihi conſtet, libere ſequar, quod aptiſſimum futurum eſt. Quid enim, quæſo, intereſt ad rem noſtram referre,

ferre, quo ſtudio à primis rudimentis egregia tua indoles ſpem ſui dederit nulli ſecundam? Quid, quod ſpem primam ſuperaverint graviora ſtudia eunte ætate ſuſcepta, queis demum ad gloriam perveneris? Pariter quid ad Nos, ea dictare conſilia, quibus potius Epiſcopi inſtrui, quàm pro meritis laudari videntur.

Loquor Ego ad Clerum, ad Cives, quorum nemo eſt, qui non ſentiat, certe Tè ab incunabulis uſque ſtudioſum, elegantem, prudentem, religioſumque fuiſſe, qui ſic ex habitu doctiſſimus, humaniſſimus, ſapientiſſimus, ſanctiſſimus. Ita plane inutilia, quæ de Epiſcopi munere conſcribere poſſem, cum ego non ad Candidatum Epiſcopatus, ſed ad Archiepiſcopum gloria muneris acti ſatis inſignem ſim verba facturus. Non ego iſtiuſmodi tenebor anguſtiis, at pro Oratione propoſita ea conſideranda ſunt, ex quibus Clerus, Nobiles, Populus Tarviſinus intelligant honeſtiſſimis

74

eorum cupiditatibus per Epiſcopum noſtrum aptiſſimè ſatisfieri.

Si enim ſunt, qui Antiſtitem optaverint Originis Inſignibus præfulgentem, hi ſciant hunc de Familia ortum, cujus geſta non uno ſæculo clauſa, nec ulla poſſent circumſcribi Oratione. Quod ſi cui grata ſunt, quæ habemus, primordia, ea ſunt antiquiſſima: Scimus enim uſque ab Anno milleſimo quinquageſimo in Italiam de Germania deſcendiſſe Virum Cognomine Zaccum, Titulo conſpicuum, cujus Gentilitia nunc uſque aſſervantur in Familiam Zacco derivata: Veroque ſimile eſt, eum, qui Nobiliſſimus eo tempore pro dignitate ſua meritò habebatur, de Nobili fuiſſe ſanguine ſortitum, quippe *fortes creantur fortibus*, *& bonis*. Qualia autem Nomina tunc habere cœpit Italia, ea ſemper uſque ad Nos deſcendere.

Non ego referam, qui fuerint ſequentibus ſæculis Zaccus, Petrus,

Jaco-

Digitized by Google

Jacobus, Mathæus, Conradus, Bartholomæus, & Ugo regendis Urbibus electi; atque alii Zacci ſtrenuorum Equitum Nomine ſæpe diſtincti, quorum non eſt locus; ut ſinguli nominentur: Neque enim, ſi eos omnes, ſimulque velim noſtri ævi Zaccos notare, quos poſtremus ornavit Antonius Militiæ egregius Imperator, mihi facundia quævis ſufficere. Satis erit cupientibus Patavinas, atque Italas Hiſtorias percurrere, & monumenta Nobiliſſimis Epitaphiis concredita; Sic Sertorium Urſatum, Henricum Calderium, Albertinum Muſſatum, alioſque id genus plurimos fideliſſimè ſcribentes, videre.

Perennis tanta Nobilitas nil tamen habet à tempore tàm præclarum, ut non conſiderabilius ſit omnis ævi Zaccis placuiſſe virtute ſimul, ac ſanguine nitere. Perſpicua Nobilitas animi, quæ ſibi inde ſumit alimenta, unde omnis Nobilitas ortum habet. Quid plura? Hoc

Digitized by Google

ſanguine propagatus AUGUSTUS Noſter, ipſe etiam virtutes in ſe collectas ſacro ſpiritu illuſtrat. Quid plura? Optatis ne doctiſſimum? Ecce verò quà in re doctiſſimum? Num in ſcientiarum, dogmatum, legumque prudentia? Plane ſic ne?

Jam habetis quo gaudia veſtra augeantur, nec aliunde argumenta ſumam, quàm à Corcyrenſibus, quibus præfuit Archiepiſcopus; ſicuti non alio loco ſecurius Virorum doctrina eſt, quàm ab eorum geſtis petenda.

Munus inter omnia difficillimum, arduumque eſt contendere, ut mentes præoccupatæ velint in veritatem conſentire, contra quam ſunt imbutæ. Cœpto opponitur conſuetudo vivendi mutanda, & ea relinquenda arbitria legi, quæ prius hominis habebantur. Hæc & alia hujuſmodi voluntatem ſancti Archiepiſcopi non detinuere quominus Infidelium, & Hæreticorum converſionem ſuſciperet. Suſcepit; imò

eo

Digitized by Google

eo magis ex animo, quò magis rem aſperam cognovit, ut ſcilicet glorioſior eſſet exitus victoriis fœcundiſſimus.

Supra ducentos aſſiduitate doctrinæ convicit, velum erroris eorum ſcidit, atque ipſe baptizavit.

Quæſo Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Antiſtes, quis fuit tui animi ſenſus, ubi frequentiſſimas illas victorias aſſequebaris?

Scio nempè de Religione propaganda ſollicitum gloriari in Domino Deo ſuo. Quis fervor Charitatis, ubi forte Doctrinæ Chriſti inſinuandæ difficultas occurrebat? Nonnè Vota erant tua, ut Deus Religionem certiſſimam unam Te operante propagaret?

Inſpicere mihi videor tuam curam de illis præcipuè, qui pro inconſtanti Regionum habitu nunquam bene fideles, ſchiſmata dimittebant (qui fuere innumerabiles) oh quanta erat ſollicitudo ut diſcerent conſtantiam! Non huic ponderi ſuſtinen-

Digitized by Google

nendo mediocris ſufficit vis argumentorum, nempè certum eſt fortiſſima ea fuiſſe, quæ vicerint.

Si verò tantus ardor erat in alienis conquirendis ad fidem, quis ille fuerit, conſidero, quo fideles ſuos ipſe volebat ſæpiſſimè docere. Ipſe idem non habuit infra munus dignitatis ad pueros uſque catechizandos deſcendere, ut ea ſcilicet doctrina fidei, quam profitebantur, eorum animos imbueret integra, & innocentiſſima. Nihil tam præclarum hominibuſque conveniens, quàm homines ad juſtitiam erudire: Hæc autem non totum occupabant AUGUSTUM noſtrum, ipſe enim æque humaniſſimus, ac pius erat, atque doctiſſimus.

Ita ſicut erudiendis, ſic & ſubveniendis populis quotidie operam dabat, nec ſubveniendis modò, ſed ubi Fata duxerunt, etiam defendendis.

Scimus, & oh utinam neſciſſemus: Othomanam Claſſem Corcyræ applicuiſſe, ut illud Italiæ, ac

Ve-

Digitized by Google

Venetæ Reipublicæ propugnaculum immanitate everteretur.

Immerita bella, queis Reſpublica ſanctiſſima, libertatis perpetuæ ſuæ gloria ſingularis, agebatur. Stetit pro cauſa meliori Deus, & Victoria. Faceſſant Omina, at ſi unquam decretum à Deo eſt Bella renovari, corruat iniquum hoſtis Imperium brachio Reipublicæ, quæ ſua ſibi reſtituat.

In tanta rerum perturbatione non arctatur Auguſtus infra muneris ſui Clauſtra; exit, immò undique ſuadet illud decorum pro Patria mori, monet, quæ ſint ſervitutis damna duriſſimæ, exemplo ſuo ad defenſionem Fidei territos Cives, ac milites trahit. Fuit, qui conſilia moveret, quibus Archiepiſcopus extra tot pericula duceretur, ne periculo ſuo augeret populorum anguſtias: Conſtans reſpuit AUGUSTUS ſuo ſubſidio Eccleſiam ſuam fraudare; ac ſtrenuus de Archiepiſcopo, qui Sacerdos Domini pacificam hoſtiam

offer-

Digitized by Google

offerre habebat, factus eſt etiam miles. Cui poterant vires deeſſe, ac non pudere timoris, cum venerabilem ſacrum aſpectum intueretur undique adjuvantem, providentem, magnanimum? Ita populum, & militiam reddidit fortem, ut Divino impetrato ab Archiepiſcopo, brachio, ſe potuiſſe ſenſerint, quæ non poterant ſponte ſua.

Quis etiam neſciebat ſe ab AUGUSTO ſolvendum, ſi pio ejus conſilio ſe captivitati ſubdidiſſet?

Non enim redditus Archiepiſcopatus tantùm, ſed etiam familiare Patrimonium erogavit ſemper in Captivorum, pauperumque levamen. Vera loquor, & nota. Viſum eſt ei ſine merito id uſque exequi, quod ſacri Canones imperant, atque ideo Patrimonio non pepercit, ut ſibi etiam, ſicut aliis de ſuo dediſſe videretur.

Sic Bello, ſic Paci providens, hoc ſingulare etiam, quod utrumque conſtanter.

Tem-

Digitized by Google

Tempori ſæpè, & vicibus tribuenda Virorum merita, qui penè Fato pendent; Viro autem huic ſinceriſſimè illa, quæ omni tempori, omnibus vicibus aptantur. Nullus unquam ſub noſtro AUGUSTO fuit Corcyrenſis infelix, ad quem non ipſe liberalem manum porrexerit. Nullus tanta infirmitate confixus, qui habuerit Archiepiſcopum renuentem viſere, ac benedicere. Quis ſexus, quæ ætas fuit, cujus anguſtias, vel maximas non ipſe levaverit?

Iſte Archiepiſcopus, ecce, contingit Nobis.

Neque tamen adhuc putetis tot occupatum curis Præſulem, non aliis etiam, quæ proximiores dignitati ſunt, ſuffeciſſe: Sæpè quidem evenit, ut Populi mirarentur omnia ipſum perficere, quæ non unus, aut alter valuiſſet. Nempe in omnibus continuò vigilantiſſimus tàm prudenter, tàm humaniter ſe geſſit, ut nihil defuerit Eccleſiæ, omneſque de Clero ſatagerent

rent

Digitized by Google

rent illius ſub Trajano laudati, ne ſcilicet quiſquam ſub bono Præſule malus eſſet.

Non diffiteor, Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Præſul; hoc mihi conſiderandum occurrere, quomodo ferre potuerint Corcyrenſes Romanum Oraculum, quo ad felicitatem hujus Sedis faciendam, illi ereptus fuiſti. Parce cogitanti, humanum enim eſt compati miſeris, & ſapientius ubi inter propria faſtigia. Additur etiam tibi occaſio repetendæ virtutis, quoties in memoriam vocatur Populus tibi pro beneficiis tuis dilectus; Ipſe verò, dum iſta recolligo, eò reſpicio, ut omnis Tarviſina Diœceſis æmuletur Corcyrenſes, quemadmodum tu contendes, ut habeat Charitas tua, quibus continuò beneficandis occupetur. Nos ergo de noſtra felicitate ſolliciti, ut vidimus, non eſſe quidquam à Nobis optandum, quod non jam obtinuerimus, non pergamus fovere ſpes impletas; viceſque tribuamus

animo

Digitized by Google

animo gratias agenti Deo, Pontifici Maximo, ac ipſi noſtro Epiſcopo, eò quod Nobis tot bona contigerint. Nec ab officio detineat, quod non ſit Nobis, quomodo paria reddantur: Ipſa enim ſibi merces virtus eſt, nec aliena optat, qui paratus eſt dare etiam quæ ſua ſunt.

Addo tamen non ita inopes nos eſſe, ut non habeamus aliquid, quò Nobiliſſimi, Doctiſſimi, Sanctiſſimi Epiſcopi Noſtri Charitati, Munificentiæ, Dignitati ſatisfiat.

Adſit iterum mihi Deus Optimus Maximus, adſit moderatio tua, ne male conſiderim, atque ita adſit, ut ſimul me obſequentiſſimum profeſſus ſim. Poteſt (credite quot quot adeſtis, credant ii, ad quos dicenda pervenient) poteſt tanti Præſulis Munificentiæ, Charitati, Dignitati eo uno prò ejus animo par reddi, ſi Clerus Doctrina, Charitate, Moribus, Zelo, Exemplo, ſi ea tandem excelluerit diſciplina, quæ nun-

Digitized by Google

nunquam collapſa, ſed bene fundata, & à quocumque Epiſcopo talis relicta qualis inventa, ſicut ſemper floruit, ſic ſemper quoque vigebit. Si Nobiles, Cives, Plebs Dei, & Eccleſiæ præceptis, more ſolito, obtemperabunt. Si denique omnis Tarviſina Diœceſis in longæva, & immemorabilis præſcriptionis, in ſemper integra, atque aſſidua Catholicæ Religionis conſtantia perſeverabit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM...

Digitized by Google